

**Aeneas' verzoek aan de Sibylle** (Verg. Aen. VI, 98-123)

Tālibus ex adytō dictīs Cumaea Sibylla  
horrendās canit ambāgēs antrōque remūgit,  
obscurīs vēra involvēns: ea frēna furentī 100  
concutit et stimulōs sub pectore vertit Apollō.  
Ut primum cessit furor et rabida ōra quiērunt,  
incipit Aenēās hērōs: 'Nōn ūlla labōrum,  
ō virgō, nova mī faciēs inopīnave surgit;  
omnia praecēpi atque animō mēcum ante perēgī. 105  
Ūnum ōrō: quando hīc īnfernī iānua rēgis  
dīcitur et tenebrōsa palūs Acheronte refūsō,  
īre ad cōnspectum cārī genitōris et ōra  
contingat; doceās iter et sacra ōstia pandās.  
Illum ego per flammās et mīlle sequentia tēla 110  
ēripui hīs umerīs mediōque ex hoste recēpī;  
ille meum comitātus iter maria omnia mēcum  
atque omnēs pelagīque minās caelīque ferēbat,  
invalidus, vīrīs ultrā sortemque senectae.  
Quīn, ut tē supplex peterem et tua līmina adīrem, 115  
īdem ōrāns mandāta dabat. Gnātīque patrisque,  
alma, precor, miserēre (potes namque omnia, nec tē  
nēquīquam lūcīs Hecatē praefēcit Avernīs),  
sī potuit mānīs accersere coniugis Orpheus  
Thrēiciā frētus citharā fidibusque canōrīs, 120  
sī frātre Pollux alternā morte redēmit  
itque reditque viam totiēns. Quid Thēsea, māgnū  
quid memorem Alcīdēn? Et mī genus ab Iove summō.